



COMPOSITIONEM huius Instrumenti consulto hic
omissimus, cum eius Instrumenti nō sit ob mutationem me-
dij motus Solis perpetuus usus, breuiter igitur hic tantū par-
tes eius ac tabulas enumerabimus. Tabula autem radicum
medij motus cuiusuis planetę hunc obseruant ordinem, principio posi-
ta est tabula radice cuiusuis planetę in annis, incipiens ab anno Christi
1500, & durans in 1600 usq̃, & hæc quidem ostendunt medium motū
planetę ad meridiem diei S. Syluestri, qui est ultimus anni, & hæc qui-
dem currentis anni proximè sequentis radix dicitur. Hanc sequitur ta-
bella additionis aut diminutionis à radice quapiam data, si eiusdem pla-
netę æquabilem motum per aliquot centenarios annorū ante & post
inquirere uelis à 100 usq̃ in 500 permanens annos. Eodem in loco po-
nitur etiam tabula mensium & dierum, circa quos gradus & signa pla-
netę inueniuntur, quos medio motu suo planeta conficit à radice usq̃
ad illum diem, & hæc quidem mediorū motuum tabulæ. Sunt & in hoc
opusculo plures deinceps tabulæ. Mars enim Venus & Mercurius mi-
nutorum proportionalium, & eorum multiplicationum tabulas habent
quæ suis in locis clarius explicabuntur, Luna quoq̃ easdem quas & re-
liqui tabulas habet, præterquā quod singularem tabulam in diebus &
mensibus per literas & gradus contineat, per quas quidem signa intel-
ligentur, quemadmodū de lunaris motus inquisitione caput indicat. Si-
milem quoq̃ tabulā Luna habet argumentū eius indicantē. Postremo
sequitur tabula in annis mensibus & diebus, sicut & reliquorum, ueri-
nempe motus capitis Draconis seu Genzahar Lunæ. Instrumenti uero
partes hæc sunt, primò in limbo instrumenti seu extremo orbe, qui im-
mobilis rotula dicitur, continentur 12 signa Zodiaci cum eorum chara-
cteribus & gradibus, quorū singula spacia binos gradus designant, di-
stincti per crucem simplicē quod denariū, & duplicem quod uiceniū
significat. In secundo orbe uersus centrū sunt 12 menses anni, cū diebus
quæ ostendunt mediū motum Solis, Veneris & Mercurij. Deinde in
eiusdem rotulæ area cōtinentur sex spacia, in quibus designatæ sunt æ-
quationes centrorū Martis, Iouis, Saturni, Veneris, Mercurij, & argu-
menti Lunæ, & numerus graduum in flauo addendus est medijs plane-
tarum motibus, in albo uero subtrahendus. Post sequitur uolubilis ro-
tula cum indice, quæ continet 12 signa uersus centrum, per quæ inueni-
tur argumentū Saturni Iouis & Martis, prout in suis canonibus latius
explicabimus. In exteriori uero eius ambitu scripti sunt 12 literarū cha-
racteres, nempe, A B C D E F G H I K L M loco 12 signorū, quorum quidē
ordo contrarius est priori, uergitq̃ uersus sinistram, in qua singulis die-
bus inueniuntur mediij motus planetarū à principio usq̃ ad finem anni.
In hac quoq̃ eius sextans ex ea ablatus est, p̃ quem æquatio centri quæ-
ritur. In hac etiam est orbis epicycli diuisus in 12 signa ipsis per quinarū
distinctis.

distinctis.